

us penduli partibus extremis (v. g. centro suspensi ex
 catenula seu filo globuli gravis) motu reciproco de-
 scriptorum. Circelli seu circumferentiolæ Fig. 2.
 A. B. C. D. E. e. d. c. b. notent globulum ex catenula
 seu filo suspensum (præcipuam penduli partem) secun-
 dum diversos situs, quos diversis momentis æqualibus in
 unâ vibratione simplici tenet: sed circelli seu circum-
 ferentiolæ a. b. c. d. e. E. D. C. B. Fig. 3. notent eundem
 globulum in revibratione seu reditu ex priorè vibratio-
 ne: Rectæ P A. P B. P C. &c. sint funiculus, filum aut ca-
 tenula globi, ut ita dicam, pendularis, vel, si placet, sint
 ipsum rigidum pendulum in puncto P perforatum & ex
 claviculo P liberè suspensum, ut circa illum, tanquam
 circa polum reciprocos motus exercere possit. Ex qui-
 bus recta P A. referat penduli situm Horizontalem, quem
 ab initio, ubi dimittitur, teneat, ut A P E sit quadrans.

Concipiatur jam Recta P E divisa in quater quatu-
 or, hoc est, 16 partes æquales, & ex partium primæ, quat-
 tæ, nonæ, finibus ductæ intelligantur Horizonti P A par-
 allelæ T B. S C. R D, cui simile quid & in altero quadran-
 te & in utroque Fig. 3. concipiendum est.

Quibus ita descriptis, ex doctrinâ Staticâ, quam
 alibi compendiosè traditam ab *Excellentissimo Dn. PRÆSI-
 DE* invenies, suppono theoremata ibidem demonstrata,
 sed hîc instar axiomatum assumenda, quæ sequuntur.

Theor. 1.

*Grave Corpus inclinato plano liberè in-
 cumbens (quâ libertate cylindrus aut globus
 per se gaudet, prisma verò, quatenus cylin-
 dris aut globis liberis fulcitur) tantum one-
 rat*